

hoc quod etiam alios torquent, ipsi torquebuntur. Ibi enim miserorum societas miseriam non minuet, sed augetur.

Ad primum ergo dicendum, quod prelatio illa que dicitur evacuanda per Christum in futuro, est accipienda secundum modum prelationis que est secundum statum huius mundi, in quo & homines hominibus principantur, & Angeli hominibus, & Angeli Angelis, & demones demonibus, & demones hominibus; & hoc totum ad perducendum ad finem, vel abducendum a fine. Tunc autem cum omnia ad finem suum pervenerint, non erit prelatio adducens ad finem, sed conservans in fine boni, vel mali.

Ad secundum dicendum, quod quamvis meritum demonum non requirat ut hominibus preferantur, quia injuste sibi homines subjecerunt; tamen hoc requirit ordo nature ipsorum ad naturam humanam: bona enim naturalia in eis integra manent, ut Dionysius dicit iv. cap. de div. Nomin.

Ad tertium dicendum, quod Angeli boni (1) non sunt causa principalis premissi electis: quia hoc omnes immediate a Deo percipient: sed tamen quorundam accidentalium premiorum Angeli hominibus sunt causa, inquantum per superiores Angelos inferiores & Angeli, & homines illuminantur de aliquibus secretis divinorum que ad substantiam beatitudinis non pertinent. Et similiter etiam principalem penam damnati percipient immediate a Deo, scilicet exclusionem perpetuam a visione divina; alias autem penas sensibiles non est inconueniens hominibus per demones infligi. In hoc tamen est differentia; quia meritum exaltat, sed peccatum deprimit: unde cum natura angelica sit altior quam humana, quidam propter excellentiam meriti intantum exaltabuntur, quod talis exaltatio excedet altitudinem nature, & premii in quibusdam Angelis: unde etiam quidam Angeli per quosdam homines illuminabuntur: sed nulli homines peccatores propter aliquem gradum malitie venient ad illam eminentiam que debetur nature demonum.

ARTICULUS III.

Utrum omnes homines in iudicio compareant.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non omnes homines in iudicio compareant. Quia dicitur Matth. xix. 28. Sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel. Sed non omnes homines pertinent ad illas duodecim tribus. Ergo videtur quod non omnes homines compareant.

2. Præterea. Idem videtur per hoc quod dicitur in Psalm. i. 6. Non resurgent impij in iudicio. Sed multi hominum sunt tales. Ergo in iudicio non comparebunt.

3. Præterea. Ad hoc aliquis ad iudicium adducitur, ut ejus merita discutiantur. Sed quidam sunt qui nulla merita habuerunt, sicut pueri ante perfectam ætatem decedentes. Ergo illos in iudicio comparere non est necesse.

Sed contra est quod dicitur Actuum x. quod Christus est constitutus a Deo iudex vivorum, & mortuorum. Sed sub istis differentiis comprehenduntur omnes homines, qualitercumque vivi a mortuis distinguantur. Ergo omnes homines in iudicio comparebunt.

Præterea. Apoc. 1. 7. dicitur: Ecce venit cum nu-

(1) Al. deest non. (2) Vulgata: iudicatur. (3) Vulgata omittit ante tempus.

bibus, & videbit eum omnis oculus. Hoc autem non esset, si non omnes homines in iudicio comparerent. Ergo &c.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod nulli boni in iudicio iudicentur. Quia Joan. 111. 18. Qui credit in eum, non iudicabitur. Sed omnes boni crediderunt in eum. Ergo non iudicabuntur.

2. Præterea. Illi non sunt beati quibus est incerta sua beatitudo, ex quo Augustinus probat, de Civ. Dei Lib. XI. cap. ix. xi. & xv. demones numquam fuisse beatos. Sed Sancti homines nunc sunt beati. Ergo certi sunt de sua beatitudine. Sed quod est certum, non adducitur in iudicium. Ergo boni non iudicabuntur.

3. Præterea. Timor beatitudini repugnat. Sed extremum iudicium, quod tremendum maxime dicitur non poterit fieri sine timore eorum qui sunt iudicandi: unde etiam Gregorius dicit, Lib. XXXIV. Moral. cap. vii. super illud Job xxi. Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli. Consideremus quomodo tunc iniquorum conscientia concutitur, quando etiam iustorum vita turbatur. Ergo beati non iudicabuntur.

Sed contra. Videtur quod omnes boni iudicentur. Quia dicitur II. Corinth. v. 10. Omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis que gessit sive bona, sive mala. Sed non est aliud iudicari. Ergo omnes iudicabuntur.

Præterea. Universale omnia comprehendit. Sed illud iudicium dicitur universale. Ergo omnes iudicabuntur.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod nulli mali iudicabuntur. Sicut enim est certa infidelium damnatio, ita & eorum qui in mortali decedunt. Sed propter damnationis certitudinem, dicitur Joan. 111. 18. Qui non credit jam iudicatus est. Ergo eadem ratione nec alij peccatores iudicabuntur.

2. Præterea. Vox iudicis est valde terribilis eis qui per iudicium condemnantur. Sed, sicut in littera ex verbis Gregorii habetur, ad infideles allocutio iudicis non fiet. Si ergo fieret ad fideles damnandos, infideles de sua infidelitate commodum reportarent; quod est absurdum.

Sed contra. Videtur quod omnes mali sint iudicandi. Quia omnibus malis infligetur pena secundum quantitatem culpæ. Sed hoc sine diffinitione iudicii esse non potest. Ergo omnes mali iudicabuntur.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Uterius. Videtur quod Angeli in futuro iudicentur. Quia dicitur I. Corinth. vi. 3. Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? Sed hoc non potest referri ad statum presentis temporis. Ergo hoc referri debet ad futurum iudicium.

2. Præterea. Job xl. 28. dicitur de Behemoth, per quem diabolus intelligitur: Cunctis videntibus precipitabitur: & Marc. 1. 24. exclamavit demon ad Christum: Venisti ante tempus perdere nos: & Glossa dicit ibidem, quod demones in terra Dominum cernentes, se continuo iudicandos credebant. Ergo videtur quod eis finale iudicium reservatur.

Præ-

3. Præterea. II. Petri 11. 4. dicitur: Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reservati. Ergo videtur quod Angeli iudicabuntur.

Sed contra. Deus non iudicat bis in idipsum. Sed mali Angeli jam iudicati sunt: unde Joan. xvii. 11. Princeps mundi iam iudicatus est. Ergo in futuro Angeli non iudicabuntur.

Præterea. Perfectior est bonitas, vel malitia Angelorum quam aliquorum hominum in statu viæ. Sed quidam homines boni, & mali non iudicabuntur, ut in littera dicitur. Ergo Angeli boni, vel mali non iudicabuntur.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod potestas iudicaria Christo homini collata est in premium humilitatis, quam in passione exhibuit. Ipse autem sua passione sanguinem pro omnibus fudit quantum ad sufficientiam, licet non in omnibus effectum habuit propter impedimentum in aliquibus inventum. Et ideo congruum est ut omnes homines in iudicio congregentur ad videndum ejus exaltationem in humana natura, secundum quam constitutus est a Deo iudex vivorum, & mortuorum.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut dicit Augustinus XX. de civit. Dei, ubi sup. non quia dictum est, Iudicantes duodecim tribus Israel, tribus Levi, quia tertiadecima est, iudicanda non erit, aut solum illum populum, non etiam gentes cæteras iudicabunt. Ideo autem per duodecim tribus omnes alie gentes significatæ sunt, quia per Christum in sortem duodecim tribuum omnes gentes sunt vocatæ.

Ad secundum dicendum, quod hoc quod dicitur, Non resurgent impij in iudicio, si referatur ad omnes peccatores, sic intelligendum est, quod non resurgent ad hoc quod iudicent. Si autem impij dicantur infideles; sic intelligendum est quod non resurgent ad hoc quod iudicentur, quia jam iudicati sunt, sed omnes resurgent, ut in iudicio compareant ad gloriam iudicis intuendam.

Ad tertium dicendum, quod etiam pueri ante perfectam ætatem decedentes in iudicio comparebunt; non autem ut iudicentur, sed ut videant gloriam iudicis.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod ad iudicium duo pertinent, scilicet discussio meritorum, & retributio premiorum. Quantum ergo ad receptionem premiorum omnes iudicabuntur etiam boni, in eo quod unusquisque recipiet ex divina sententia premium merito respondens. Sed discussio meritorum non fit nisi ubi est quedam meritorum commixtio bonorum cum malis. Illi autem qui ædificant super fundamentum fidei aurum, & argentum, & lapides preciosos, divinis servitiis totaliter insistentes, quia nullam admixtionem notabilem alicujus mali meriti habent, in eis discussio meritorum locum non habet; sicut illi qui rebus mundi penitus abjectis sollicitè cogitant solummodo que sunt Dei: & ideo salvabuntur, sed non iudicabuntur. Illi vero qui ædificant super fundamentum fidei lignum, & fœnum, & stipulam, qui adhuc scilicet amant sæcularia, &

(3) Al. quidem. (4) Al. quod punitio est effectus justitiæ, præmiatio autem misericordiæ: magis autem Deo &c. (5) Al. supra psal. præmiserat. (6) Al. deest qui.

terrenis negotiis implicentur, ita tamen quod nihil Christo præponant, sed studeant peccata eleemosynis expiare, habent (3) quamdam commixtionem bonorum meritorum cum malis: & ideo discussio meritorum in eis locum habet: unde tales quantum ad hoc iudicabuntur, & tamen salvabuntur.

Ad primum ergo dicendum, (4) quod quia punitio est effectus justitiæ, præmiatio autem misericordiæ; magis Deo, & iudicio, quod est actus justitiæ, antonomastice punitio attribuitur, ut interdum iudicium pro ipsa condemnatione accipiatur: & sic intelligitur auctoritas inducta, ut per Glossam ibidem patet.

Ad secundum dicendum, quod discussio meritorum in electis non erit ad tollendum incertitudinem beatitudinis a cordibus ipsorum iudicandorum; sed ut præminetia bonorum meritorum ad mala ostendatur omnibus manifeste; & sic Dei justitiæ comprobetur.

Ad tertium dicendum, quod Gregorius loquitur de justis adhuc in carne mortaliter existentibus: unde (5) supra præmiserat: Hi qui in corporibus reperiri poterint; quamvis jam fortes, atque perfecti, quia adhuc in carne sunt positi, non possunt in tanti terroris turbine nulla formidine concuti. Unde patet quod terror ille referendus est ad tempus immediate iudicium præcedens, tremendum quidem maxime malis, non autem bonis, quibus nulla erit mali suspicio.

Rationes autem que sunt in oppositum, procedunt de iudicio quantum ad retributionem premiorum.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod iudicium quod est penarum retributio pro peccatis, omnibus malis competit; iudicium autem quod est discussio peccatorum, solum fidelibus: quia in infidelibus non est fidei fundamentum, quo sublato, omnia opera sequentia perfecta rectitudine intentionis carent: unde non est in eis aliqua permixtio bonorum meritorum ad mala, que discussionem requirant. Sed fideles in quibus manet fidei fundamentum, ad minus fidei actum laudabilem habent, (6) qui quamvis non sit meritorius sine charitate, tamen, quantum est de se, est ordinatus ad meritum: & ideo in eis iudicium discussionis locum habet. Unde ipsi fideles, qui fuerunt saltem numero cives civitatis Dei, iudicabuntur ut cives, in quos sine discussione meritorum sententia mortis non fertur; sed infideles condemnabuntur ut hostes, qui consueverunt apud homines absque meritorum audientia exterminari.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis eis qui in mortali decedunt, pro certo constet de eorum damnatione; quia tamen aliqua que pertinent ad bene merendum habent annexa, oportet ad manifestationem divinæ justitiæ, ut discussio de eorum meritis fiat, per quam ostendatur eos juste a civitate Sanctorum excludi, ejus esse cives numero exterius videbantur.

Ad secundum dicendum, quod allocutio illa spiritualiter intellecta, secundum hoc non erit aspera fidelibus condemnandis, quod in eis aliqua sibi placencia manifestabit, que in infidelibus inveniri non possunt: quia sine fide impossibile est placere Deo, Hebr. xi. Sed sententia condemnationis, que in omnes feretur, omnibus terribilis erit.

Rationes autem que sunt in oppositum, procedunt de iudicio quantum ad retributionem premiorum.



Ratio vero in contrarium adducta procedebat de iudicio retributionis.

SOLUTIO IV.

Ad quartam questionem dicendum, quod iudicium discussionis nullo modo habet locum neque in bonis Angelis, neque in malis...

Ad secundum dicendum, quod ipsi demones cunctis videntibus, tunc precipitabuntur, quia in perpetuum in inferni carcerem referentur...

QUESTIO II.

Deinde queritur de igne qui praecedet faciem iudicis: & circa hoc queruntur tria...

ARTICULUS I.

Utrum aliqua mundi purgatio sit futura.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod nulla mundi purgatio sit futura. Non enim purgatione indiget nisi quod est immundum...

2. Praeterea. Purgatio secundum divinam iustitiam ordinatur ad auferendam immunditiam culpae, sicut patet de purgatione post mortem...

3. Praeterea. Unumquodque tunc dicitur purgari quando separatur quod est extraneum ab ipso, inducens in eo ignobilitatem...

(7) Al. procreatis. (8) Al. directe. (9) Vulgata, purificavit.

elementorum pertinet quod aliqui extraneae naturae est eis admixtum, quia forma corporis mixti est nobilior quam forma simplicis.

Sed contra. Omnis innovatio fit per aliquam purgationem. Sed elementa innovabuntur; unde Apocal. xvi. 1. Vidi caelum novum, & terram novam...

Praeterea. I. Corinth. vi. 1. super illud, Praeterea figura huius mundi, dicit Glossa Augustini, Lib. XX. de civit. Dei cap. xxv. Pulchritudo huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit...

QUESTIUNCULA II.

Uterius. Videtur quod haec purgatio non sit futura per ignem. Ignis enim, cum sit pars mundi purgatione indiget, sicut & aliae partes.

Praeterea. Sicut ignis habet virtutem purgativam, ita & aqua. Cum ergo non omnia sint purgabilia per ignem, sed quaedam necesse sit aqua purgari, sicut etiam verus lex distinguit...

5. Praeterea. Purgatio ad hoc videtur pertinere ut partes mundi ab invicem segregatae puriores reddantur. Sed segregatio partium mundi ab invicem in mundi initio sola divina virtute facta est...

Sed contra est quod in Psalm. xlix. 3. dicitur: Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu temporis valida: & postea sequitur de iudicio: Advocavit caelum de sursum, & terram discernere populum suum...

Praeterea. II. Pet. ult. 12. dicitur: Caeli ardentes solvemur, & elementa ignis ardore tabescent. Ergo purgatio illa per ignem fiet.

QUESTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod ignis ille non sit ejusdem speciei cum igne elementari. Nihil enim seipsum consumit. Sed ille ignis quatuor elementa absorberet, ut dicit Glossa II. Pet. ult. Ergo ignis ille non erit ejusdem speciei cum igne elementari.

2. Praeterea. Sicut virtus manifestatur per operationem, ita natura per virtutem. Sed ignis ille habebit aliam virtutem ab igne qui est elementum, quia scilicet purgabit universum, quod ignis iste facere non potest.

3. Praeterea. Ea quae sunt ejusdem speciei in corporibus naturalibus, habent eundem motum. Sed ignis ille habebit alium motum quam ignis elementum, quia circumquaque movebitur, ut totum purgare possit.

Sed contra est quod Augustinus dicit XX. de civ. Dei, cap. xvi. & habetur in Glossa I. Corinth. vii. 1. quod

(1) Al. dicitur. (2) Al. dicitur.

quod figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit. Ergo ignis ille erit de natura ignis qui nunc est in hoc mundo.

Praeterea. Sicut futura purgatio erit per ignem, ita praecedens fuit per aquam, & utraque ad invicem comparatur II. Petri 111. Sed in prima purgatione aqua fuit ejusdem speciei cum aqua elementari. Ergo & similiter in secunda purgatione ignis erit ejusdem speciei cum igne elementari.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod quia mundus aliquo modo propter hominem factus est, oportet quod quando homo secundum corpus glorificabitur, etiam alia corpora mundi ad statum meliorem mutentur...

Primo, quia ignis, cum sit nobilissimum elementorum, habet naturales proprietates similiores proprietatibus gloriae, ut maxime patet de luce. Secundo, quia ignis non ita recipit commixtionem extranei propter efficaciam virtutis activae...

Ad primum ergo dicendum, quod ignis non venit in usum nostrum, prout est in materia propria, (sic enim remotus est a nobis) sed solum prout est in materia aliena: & quoad hoc poterit per ignem in sua puritate existentem purgari ipse mundus quantum ad hoc quod habet de extraneo adjunctum.

Ad secundum dicendum, quod prima purgatio mundi, quae facta est per diluvium, non respiciebat nisi infectionem peccati. Praecipue autem tunc regnabat peccatum concupiscentiae; & ideo convenienter per contrarium purgatio fuit facta, scilicet per aquam.

Sed secunda purgatio respicit & infectionem culpae, & commixtionis impuritatem; & quantum ad utrumque convenit magis quod fiat per ignem quam per aquam. Aqua enim non habet vim disgregandi, sed magis aggregandi: unde per aquam naturalis impuritas elementorum tolli non posset...

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, Omnis creatura Dei est munda, hoc intelligendum est, quia non habet in substantia sua alicujus malitiae permixtionem, sicut ponebant Manichaei, dicentes bonum, & malum esse duas substantias alicubi divisas, & alicubi commixtas...

Ad secundum dicendum, quod quamvis corporalia elementa subjectum culpae esse non possint, tamen ex culpa in eis commissa aliquam ineptitudinem possunt consequi ad perfectionem gloriae suscipiendam.

Ad tertium dicendum, quod forma mixti, & forma elementum possunt dupliciter considerari: aut quantum ad perfectionem speciei; & sic corpus mixtum nobilius est: aut quantum ad perpetuitatem durationis; & sic corpus simplex nobilius est, quia non habet in seipso unde corrumpatur...

In IV. Sent. Tom. V. (1) Al. dicitur. (2) Nicolai dicitur. Al. dicitur.

ipso habet causam suae corruptionis, scilicet corruptionem contrariorum: & ideo corpus simplex etsi sit corruptibile secundum partem, est tamen incorruptibile secundum totum; quod de mixto dici non potest.

Ad tertium dicendum, quod per opus distinctionis sunt rebus diversae formae collatae, quibus ad invicem distinguuntur; & ideo fieri non potuit nisi per eum qui est auctor naturae: sed per finalem purgationem deducuntur res ad puritatem in qua conditae fuerunt; & ideo in hoc poterit natura creata exhibere ministerium Creatori: & propter hoc ministerium

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod illa mundi purgatio, ut dictum est, removebit a mundo imperfectionem ex culpa relictam, & impuritatem commixtionis, & erit dispositio ad gloriae perfectionem: & ideo quantum ad haec tria convenientissime fiet per ignem.

Ad primum ergo dicendum, quod ignis non venit in usum nostrum, prout est in materia propria, (sic enim remotus est a nobis) sed solum prout est in materia aliena: & quoad hoc poterit per ignem in sua puritate existentem purgari ipse mundus quantum ad hoc quod habet de extraneo adjunctum.

Ad secundum dicendum, quod prima purgatio mundi, quae facta est per diluvium, non respiciebat nisi infectionem peccati. Praecipue autem tunc regnabat peccatum concupiscentiae; & ideo convenienter per contrarium purgatio fuit facta, scilicet per aquam.

Sed secunda purgatio respicit & infectionem culpae, & commixtionis impuritatem; & quantum ad utrumque convenit magis quod fiat per ignem quam per aquam. Aqua enim non habet vim disgregandi, sed magis aggregandi: unde per aquam naturalis impuritas elementorum tolli non posset...

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, Omnis creatura Dei est munda, hoc intelligendum est, quia non habet in substantia sua alicujus malitiae permixtionem, sicut ponebant Manichaei, dicentes bonum, & malum esse duas substantias alicubi divisas, & alicubi commixtas...

Ad secundum dicendum, quod quamvis corporalia elementa subjectum culpae esse non possint, tamen ex culpa in eis commissa aliquam ineptitudinem possunt consequi ad perfectionem gloriae suscipiendam.

Ad tertium dicendum, quod forma mixti, & forma elementum possunt dupliciter considerari: aut quantum ad perfectionem speciei; & sic corpus mixtum nobilius est: aut quantum ad perpetuitatem durationis; & sic corpus simplex nobilius est, quia non habet in seipso unde corrumpatur...

In IV. Sent. Tom. V. (1) Al. dicitur. (2) Nicolai dicitur. Al. dicitur.